ORATIO

FRANCISCI POLÆ IVREC.
VERONENSIS

PRO

ACADEMIA PHILARMONICORVM

AD

AVGVSTINVM VALERIVM CARDINALEM.
PATRONVM ACADEMIÆ CREATVM.

5.

VERONÆ,
TYPIS ANGELI TAMI.
clↄ cl ↄ III.



Perillustri, ac Præcolendo Viro
FLAMINIO TVRRIANO CO.
&
VERONENSI CATHEDRALI ECCLESIÆ
PRÆPOSITO.

F. POLA IVRSC. S. P. D.



XORARI tandem me à suauissimis amicis sino, vt, quam oratiunculam diebus elapsis ad AVGVSTINVM VALERIVM CARDINALEM *iussu Philarmonicorum Academicorum habui, eam typis, præloq; committam: quàmquàm nullam prorsùs editionis caussam video; nec; si qua ab amicis affertur, vllam approbo. Planè enim mihi sum conscius, quàm difficile sit, ac impossibile homini continenter in forensi puluere, imò & cæno versanti, familiaribusq; etiàm curis vehementer distento, in arcto quinque dierum curriculo vllam benè dicendi laudem sperare; non dicam enim, assequi; quam mehercule nec cogito. Vnam illam culpam, si valeam, effugere, nè pessimè dixisse videar, triumphabo. Porrò orationem ipsam Tibi,* TVRRIANE *Perillustris, nuncupatam, dicatamq; volui,*

vt extaret aliquod, licet exiguum, meæ tacitæ, summæque erga te obseruantiæ testimonium. Vale, & , quam viam virtutis, & gloriæ ingressus iampridem es, quà maiorum illustrium tuorum exemplo excitatus, quà proprio ductus ingenio, quà denique varia literarum eruditione, & vitæ integritate instructus, eam alacriter, impigrèq; sequitor; Felicitas enim te manet certissima, & fama nominis perpetua. Ex ædibus nostris Kal. Iannarijs CIↃ. CI. C. I I I.

ORATIO

HABITA X. KAL. IANVARII CIↃ. CI. C. II.



CADEMIAM, PHILARMONICI, studiaq; omnium nostrûm, exercitationes, artes, cogitationesq; nostras, atq; hoc domicilium nobilissimæ virtutis, celeberrimumq; lectissimorum hominum cœtum, hodierno die, diuino Dei consilio, inopinataq; AVGVSTINI VALERII CARDINALIS liberalitate ex illo excelso, & illustri dignitatis gradu, in quem illum maiores nostri per longum septuaginta annorum spatium egregijs, summisq; laboribus eduxerunt, momento temporis ad celsissimum gloriæ verticem elatum, constitutum, & collocatum videmus. Quòd si ij, qui primùm hanc instituerunt palęstram, quiq; eam continenter perenni, contestatâque virtute exornarunt, nobis in maximo honore sunt, illorumq; memoriam gratâ, perpetuâq; colimus veneratione; quanto tandem in cultu apud nos esse eum debere, existimabimus, cuius operâ tanta, & tàm subita ad laudem, famamq; eius fieri potuit accessio? ò quantum admirationis habet hoc Antistitis nostri factum perillustre! ò quàm nescio quid pergrande, & incredibile de hoc eius singulari beneficio mente concipio! Adeste, obsecro, intentis animis, Philarmonici, & perbreuem meam orationem cogitatione vestrâ subsequimini: nimirùm vos ex paucissimis, quæ faciam, verbis tùm magnitudinem beneficij in nos collati, amplificationemq; status nostri facilè cognoscetis, tùm, quas gratias huic sanctissimo Cardinali debeamus, apertè poteritis ediscere. Tu, purpuratorum omnium patrum optime, atq; humanissime,

ad meum hunc inconditum sermonem, ad meam hanc vocem absonam, auribusq; tuis delicatioribus, ac planè Romanis minimè dignam, nauseare nè velis: sed pro facilitate tuâ me, arctam dicendi metam ex industria circum iturum, si audire non potes, spectare nè graueris. Neque verò interea subdubites, Pijssime Pater, me longiùs, latiùsq; in vastum tuarum laudum Oceanum imprudenter abreptum iri, prouocante scilicet materiæ aurâ, atq; impellente: in portu enim leuiter remigabo; neque nauim soluam; aut si soluam, non velificabor; & naufragij timidus amabo littus. Atq; equidem iam pridem noui, quæ reuerentia, quæ religio tuis debeatur laudibus; mensque, & oratio mea, propriæ imbecillitatis consciæ, amplitudinem tuarum virtutum reformidant, & in solâ, tacitâq; earum commentatione libentiùs venerabundę versantur. Sed iàm redeo illhùc, vnde planè immemor promissi digressum me sentio. Duplex beneficium est, Academici, quo nos hodie à Cardinali nostro cumulamur: alterum, quòd ille clientelam huiusce nostræ congregationis benignè suscepit; alterum, quòd ab auctoritate Pontificali spontè nobis tribuit ius capedunculæ, & gutti ministtandi, aquamque dandi eius manibus inter rem sacram diebus festis, atque solennibus in maiore templo faciendam, liturgiamq; celebrandam, iusq; istud honorificentissimum nè cùm eius vita, quæ vtinàm æterna esse posset, perimatur, cauit, imò voluit, vt in suos identidem transeat successores; quorum vnum iàm dessignatum, tàm virtute, quàm natura propinquum infra hos parietes habemus ALBERTVM. Commemorabile vtrumque hoc beneficium est, Academici antiquitati erubescendum, nobis perpetuò prædicandum, posteris semper inuidendum. Nàm, quod attinet ad priorem liberalitatis Valeriæ speciem, quis est, qui non videat, dùm nos fidei, præsidioque eius adiungimur, dùm ille se nobis

patro-

patronum, defensoremque liberaliter præbet, sanctissimum necessitudinis vinculum, nexumque splendidissimum inter eum, & hoc nostrum concilium adstringi? Ite, si placet, per antiquorum monumenta, & ius patronatus, & clientelæ à Thessalis, siue ab Atheniensibus, aut à Sabinis, Latinisve, aut denique à Romulo ipso repetite, & præstantiam eius, & maiestatem colligite, atq; in hanc rem præsentem deducite. Non singuli tantùm, priuatique homines, sed vniuersæ Ciuitates, atq; adeò prouinciæ amplissimum, pulcherrimumq; ducebant, se in clientelam dare Proceribus viris, atque insignioribus: tantique fiebat apud omnes, Romanosq; præcipuè, hæc coniunctionis ratio, vt ea agnationis, cognationisque sacris maximè anteponeretur. At verò quis, quantusque ad nostram defensionem admouetur patronus? qui, quales eius patrocinio nos dedimur? De ordine nostro nihil est, quod multa dicamus; nàm licet ille vetustate splēdeat, virtute emicet, nobilitate nitescat, fama apud omnes Italiæ, Europæq; gentes celebretur, omnis tamen eius dignitas, si cùm patroni dignitate conferatur, deprimitur; omnis eius splendor ab isto lucidissimo Sole præstinguitur, & obtenebratur. De nostro autem defensore quid emoliar? vel potiùs quid non enarrem? ò quantus ad nos accedit defensor, atque, vt hoc prisco vtar verbo, tutamus! Heros scilicet priscâ origine aut Romanus, si P. Valerij Poplicolæ memineris; aut fortè Veronensis, si gentem ipsam Valeriam antiquioribus seculis hanc nostram Ciuitatem incoluisse ex vetustis inscriptionibus didiceris; ortu ipso Venetus, & patricius; sacrâ dignitate Pontifici proximus; Vrbis nostræ Episcopus, si à D. Euprepio rationem ineas, c x x v; si Venetos numeres, xij; si Cardinales recenseas, vi; atq; is Episcopus, qui, quùm annos iàm triginta septem huiusce nostræ Ecclesiæ gubernaculo sedeat, videtur potiùs in hac ipsâ amplitudine

natus, quàm alteram vllo vnquàm tempore reuocatus. Quid? Aliud est etiàm, quod nos in nostro propugnatore plurimi æstimemus: Ipse enim gloriosissimæ illius Vaticanæ Academiæ, ex quâ olim tot Principes, tot Reges, tot Cardinales, atq; Pontifices prodierunt, maxima pars fuit, atq; præcipua. Vnde euenturum facilè arbitror, imò & auguror, quæ relliquiæ, qui spiritus illius memorabilis Academiæ in viro isto amplissimo adhùc seruantur viuidi, eos omnes ab eo sensim exhalaturos, & quadam veluti Pythagoricâ Palingenesiâ emigraturos esse in hanc nostram Academiam. Maiora expectatis, Academici, scio: sed frustrà; nàm tenax sum propositi mei, atque promissi; & in hac ipsâ oratione, tàmquàm canis ad Nilum, vestro iussu excurro. Veronæ de Veronense Antistite Veronensis ago; si quis est, qui adeò in omni rerum ignoratione versetur, adeòq; rationis expers sit, & auribus etiàm, nedùm mente captus, qui se prorsùs hospitem, atq; aduenam in laudatione tanti Cardinalis temerè profiteatur, is per vrbem incedat attentus, oculosq; passim circùmferat; profectò, quot partes vrbis sunt, quot viæ, quot fora, quot ædes, quot templa, quot anguli, totidem documenta virtutis, laudisque eius, vel inuitus deprehendet æterna. Tribus verbis singularem patroni nostri excellentiam cumulatissimè explicabo; Augustinus Valerius Cardinalis est. Quæcùmque à disertissimo oratore de eo dici, exaggerarique possent, ea omnia ego iàm copiosissimè dixi, quum ipsum nominaui. Sic enim se res habet, Auditores, simulac nomen eius commemoratur, mirabilis quædam imago omnis eruditionis, atq; sapientiæ, pietatis, & religionis, magnificentiæ, & maiestatis audientium animis occurrit, oculosq; adeò oberrat, & sese offert contemplandam. Talis igitur, & tantus mortalium, immortalitate dignissimus, clientelam nostram tuiturus est; is nos proteget, is studio, consilio, curâ, auctoritateque nos iuuabit; is inter nos erit,

& super nos erit, eminebit, excellet: quàm eum & super nos, & nobiscum ea propemodùm versabitur ratione, qua leges, qua honor, qua potestas inter homines agunt; quæ quàmuis supra gentes, & homines sunt, ipsorum tamen hominum propria sunt, & apud homines commorantur. O munificentiam lectissimi Principis laudandam; ò beneficium insigne; ò præclarissimum munus, etiàm si simplex esset, & solum. Sed quid erit nobis, quùm illud alio florentissimo dono cumulatum appareat? An non per vos metipsi, Academici, cognoscitis, quàm amplum, & incomparabile sit, quadrumuiros ex nostro corpore ad abluendas Episcopi manus in religiosissimo altari publicè, solenniterq; admitti? Missas facio Historiarum bibliothecas omnes, ex quibus facilè intelligere possumus, quàm hic, similis ve honor clarissimis semper viris, & summa dignatione fulgentibus delatus fuerit ab antiquis Imperatoribus, & Pontificibus: Hoc vnum sciatis in præsentiarum, volo; idem hoc officium, quod nobis demandatur, Romæ legatos Regios, atq; Imperatorios ex ordine Pontifici Maximo præstare; per Galliam, per Hispanias, apud Germanos, & Sarmatas, in omni orbis regione, vbi gentibus Christianis, Romanusq; cultus sacris faciundis adhibetur, in Italia tota in signioribus Episcopis à principibus viris prouinciarum, & ciuitatum laudabiliter præstari. In hac nostra ipsa vrbe antiquitùs Decuriones nostri, penès quos summa patriæ auctoritas residet, huic nobilissimo ministerio incumbebant. Verùm enim verò, hoc honestissimo ritu post longissimum temporis interuallum instaurato, nos soli, & præcipui ad hanc speciosissimã dignitatem à benignissimo nostro Antistite deligimur, & euocamur. ò felicitatem Academiæ nostræ, quæ nos ad vsum indulgentiæ, liberalitatisque tanti Principis mirabiliter prouocat, & extollit. Agite verò Academici, ex hac bina Cardinalis patroni erga nos beneficentiã quã amplissimã

gloriæ

gloriæ fructum consequimur? An non in ea summam tanti optimatis iudicium de Academiâ nostrâ agitur, & approbatio? oportet mehercule, vt sagax iste virtutũ æstimator, aliquid in nobis inuenerit, quod amare potuerit; vt nonnullas in nobis incredibilis, diuinæq; virtutis suæ species, non leuiter impressas, inspexerit: quippe quia nihil nisi pietate purum, ingenio perfectum, industriâ elaboratum, virtute absolutum consueuerit approbare. Atq; hoc quidem vnum esse existimo, Academici, quod maximè animos nostros ad summam gloriam capescendam debet excitare, atq; inflammare. Quapropter iam potestis constituere, dignitas Academiæ nostræ ab eximio, singulariq; adoptati patroni beneficio quàm multò illustrior fiat hodierno die, & ornatior reddatur. Reliquum est, vt de agẽdis gratijs pro magnitudine liberalitatis, pro dignitate nostrâ cogitemus. Prò Deus immortalis, ecquid statis attoniti? ecquid vos inuicem intuemini? ecquid obstupescitis? Animaduerto, vos maiestate horum tantorum munerũ opprimi, atque obrui; quippè qui nullas excogitare potestis gratias, quas pares Cardinali huic illustrissimo, referatis. Meritò vos tàm iustam facitis cogitationẽ; meritò vos hæc cura macerat; meritò penè animos despondistis; re uera etenim vires nostræ tàm ingenti beneficiorum moli ferendæ impares omninò sunt; Atlas ipse tãto sub pondere labaret, atque fatisceret. At bonum suscipite animum, viam ego inueni, eamq; facilem, qua vos gratos possitis reddere. Beneficium agnoscite, & confitemini. Hoc tãtùm: solâ beneficij confessione grati euadimus, docente Senecâ sapientissimo. Neque insolens gratiarum species est, neq; illaudabilis, si is, qui beneficio honestatur, se eius prestantiam verbis, factisq; rependere posse diffidens, taciturnus illud admiratur. Hoc igitur silentium, Augustine Valeri, hic animorum, & corporum stupor pro hilari, & effusissima gratiarum actione tibi esto acceptissimus;

mus; quam quidem ex tantò interiore animi nostri recessu depromptam esse, credas, optamus, in quantò secretiorem ædium nostrarum partem, in angustius hoc conclaue, atq; cubiculum, ac etiàm has exedrarum angustias amplitudinem tuam, quæ vix ab vniuerso orbe iàm capitur, conclusimus. Vellemus etenim, ita te intimo corde excæpisse, vti beneficium ipsum tuum toto pectore amplectimur, & exosculamur. Planè, quam tibi obseruantiam, obsequiũ, cultumq; debemus, & pollicemur, eum constantissimè perpetuòq; præstabimus. Finem facerẽ dicendi, Patrone amplissime, nisi iustum, necessariumq; ducerem, vt, antequam sileam, solenni, propriâque adhibitâ formulâ fœdus hoc nostrum insigne, & nouũ ineatur. Vos igitur, Academici Philarmonici, compello altiore voce. Vultis, iubetis, me cùm Augustissimo Cardinali Valerio clientelæ fœdus ferire? iubetis; sentio, notum mihi decretum vestrum est. Facitisne me nuntium Academiæ? Animaduerto, Vos mihi tacitos respondere; Quod sine fraude nostrâ, ordinisq; nostri fiat, iam fecimus. Itane vero? imò cùm manifestâ gloriâ, & splendore fiet, Academici. Sed iàm Cardinalem ipsum alloquentem per me audite. Estis vos Academici Philarmonici? sumus. Sanxistis, vos, conuentumq; hànc vestrum in clientelam meam conferre? sanximus. Est ne Academia Philarmonica in sua potestate? est; nec vllum ante te vnquàm patronũ habuit; & nescio an vllum alium, te excepto, habitura esset. Deditisne vos, studia, geniumq; vestrum in meum patrocinium? Dedimus. Et ecce vos, Academiamq; vestram humaniter accipio, amplector. Ego verò vos omnes, qui circùmstatis, nobilissimi viri, testes facio huiusce celebris pactionis. Te autem, Cardinalis, patronum, tutelariumq; nostrum optimè meritum, custodem, conseruatorem, propugnatorem, sospitatoremq;, & parentem, nos Academici Philarmonici vniuersi saluere iubemus acclamatione, plausuq;

mi-

mirabili. Tequè precibus etiàm, atq; etiàm exposcimus, vti sciens, volens nostrum semper sospites collegium, perpetuáq; nos dones securitate, atque tutelâ. O' vtinàm accidant Academiæ nostræ per te prospera omnia, idest, tuo digna patrocinio.

DIXI.

Inscriptiones aliquo [illegible]

Auctor[illegible]

In Portâ Academiæ

ACADEMICI. PHILARMONICI.
AVGVSTINO. VALERIO. CARDINALI.
PATROCINIO. ACADEMIÆ. SVSCEPTO.
S. A. C. P.
CIↃ. CI. C. I I.

Supra Ostium Aulæ Academicæ.

AVDI. PATER. AVDITE. HOSPITES.
AVDIAT. FAS.
QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIXQ. SIT.
TIBI. NOBISQ.
QVANDO. HODIE. PRIMVM.
ACADEMIÆ. PHILARMONICÆ.
CLIENTELAM. AVSPICARIS.
IPSAMET.
AMPLITVDINI. TVAE. IN. PERPETVVM. COLENDAE.
SE. SANCTE. OBLIGAT. VENERABVNDA.
INGREDITOR.
TVTELA. NOSTRA. ET. GLORIA.

Supra idem Ostium interiùs.

AVGVSTINO.VALERIO.CARDINALI.
NATO.AD.ÆTERNITATEM.ECCL.ROM.
CLIENTES.PHILARMONICI.
TVTELARIO.MAX.AMPLISSIMO.
IN.BENEFICI.MEMORIAM.

Supra Ianuam penetralium.

VIRTVS.VALERIA.
QVID.NON.PROTEGIT.
IN.CLIENTELAM.EIVS.ECCE.
ACADEMIA.PHILARMONICA.
RECIPITVR.

In cippis depictis circùm Aulam.	FELICITAS. PHILARMONICORVM
LÆTITIA. ACAD. PHILAR.	OB. PATROCINIVM. SVSCEPTVM.
SECVRITAS. VALERIA.	Iò. PATRONE. Iò. CVSTOS. ACAD. PHILAR.
TVTELA. ACAD. PHILAR.	HILARITAS. GENII.PHILARM.

